

QK. 525, 24.

B. m. T

Hn  
7436

DE PATHMO IO. BRENTII SVMMI THEOL.  
QVA NOMEN HVLDRICI AENGSTERI SIBI  
ADSCIVIT

# PAVCVLA COMMENTATVR

SIMVLQVE

VIRO SVMME REVERENDO, ET DOCTISSIMO

D O M I N O

# HVLDRICO EBERHARDO KEIPFIO

S. R. I. VRBIS FRIEDBERGAE IN WETTERAVIA  
PASTORI PRIMARIO ET CONSISTORIALI  
THEOLOGO VETERANO PIO FORTI INCLYTO  
AFFINI ET FAVTORI SVO SVMMPERE  
COLEND

ANNVM SACRI MINISTERII QVINQVAGESIMVM  
D. II. TRIN. BONO CVM DEO EXPLETVM

PIE GRATVLA TVR

CHRISTOPH. ANTONIVS FRIDERICI  
ECCL. QVERFVRT. PASTOR PRIM. DIOEC.  
SVPERINTENDENS ET SCHOLARCHA.


---

HALAE

EX OFFICINA FÜRSTENIA.







§. I.

IOANNEM BRENTIVM si dicam;  
dico Theologum de orbe Euangelico mul-  
tis magnisque meritis longe cumularissi-  
mum, fidum Lutheri puriorisque doctri-  
næ aseclam, victorem multis hostium de-  
victorum spoliis decoratum, triumphato-  
rem denique vita, exiliis & morte maxime  
inlytum. LVTHERVS tantum virum tanti fecit, vt  
in præfatione, qua eius commentarios in vatem diui-  
num Amosum ornauit, sic mentem suam explicuerit: Ego  
vero præter generale encomium Spiritus, de tuis  
scriptis sic sentio, vt mihi vehementer sordeant mea,  
vbi tuis, tuique similium scriptis comparantur.  
Non adulor, neque fingo, sed neque ludo, neque fal-  
lor. Non Brentium sed spiritum prædicto, qui in te

A 2 suauit.

suauior, placidior & quietior est. Deinde sermo dicendi artibus instruetus purius, Iaculentius, nitidius fluit, itaque magis afficit, quam delectat. Meus vero præterquam, quod artibus dicendi imperitus & incultus, nihil nisi syluam & chaos verborum euomit, tum etiam eo fato agitur, vt turbulentus & impetuosus velut luctator cum monstribus infinitis semper congregedi cogatur. Itaque si licet paruis componere magna, mihi de quadruplici spiritu Eliæ ventus, motus & ignis, qui montes subuertit, & pœnas conuertit, tibi autem & tui similibus sibilus ille blandus, aura tenuis, qui refrigeret, contigit, ita fit, vt etiam mihi ipsi, nedum aliis gratiora sint scripta & verba vestra. Hoc donum Dei autem præ ceteris, in te singulariter amo & veneror, quod justitiam fidei tam fideliter & sincere virges, in omnibus scriptis tuis. Hic locus enim caput & angularis lapis est, qui solus ecclesiam dei gignit, nutrit, ædificat, seruat, defendit, ac sine eo ecclesia dei non potest vna hora subsistere, sicut nosti & sentis. (\*) Ita etiam censeo, cum BRENTIO agendum esse. In hunc vsque diem libri eius, qui

\* Conf. Collect. Epistol. b. Lutheri a Buddeo ed. p. 192.



litteras in primis diuinias explanant, spiritus succiique pleni cordatioribus theologis videntur, quibus etiam sera nos subsecutura ætas pretia iusta & æqua libenter decernet.

§. II. Hic vir DEI, qui Heidelberga euocatus, anno MDXXII. Halæ Sueorum Euangelii prima semina spar-  
sit, fructusque per multos annos vidiit, intra huius urbis mœnia contineri non poterat, quin fama illum ad proce-  
res cœtus nostri deferreret, qui causam optimam, quæ DEI erat, coram principibus terræ dicere valebat. Hinc in comitiis Augustanis, oblata nostra Cæsari professione, in conuentu Smalcaldico, dehinc etiam Vormatiæ, Ha-  
genoæ, & Ratisbonæ ipsi a partibus Euangelicorum stan-  
dum erat.

§. III. Cum postea bellum funestum in Germania, Cæsarem, Mauritium Saxonem, & inter septemuirum Jo: Fridericum & Philippum Hassum intercedereret, & tandem hi postremi fessi partim vulneribus, partim laboribus, caperentur, res Protestantium in dies ab hostiis arbitrio de-  
pendere magis videbantur. Qui quidem sibi datum esse crediderunt, armis viætricibus eas attenuare. Hinc cum ecclesiis nostris, exercitu viçtore Cæsar, nulla erumpendi spes superesset, hic Carolus Imp formulam quandam in-  
terlinearem, a. MDXLVIII. per Pflugium, Sidonium & Agricolam excudi procurauit, quæ solum, qui vel honori vel quæstui inhiabant, assentatores secum trahere, fidos Deoque caros veritatis confessores tantum modo explorare voluit. Augusta Vindelicorum primum calamitosam sortem fuit experta, ibi enim formula hæc templis vi intrusa, sacerdoresque, sacris nostris addicti, solum vertere coacti sunt. Et quoniam iratus Cæsar initio Sueiam omnem vi atque armis coercendam statuerat, hinc etiam,

Euangelicorum perculsis rebus, vrbibusque, imperio deuotis, a fredere Smalcaldensi disiunctis, hanc terram cum finitmis, sine villa fere militum iactura deuicit. Victoris leges primæ erant: Formula, religionis declaratio, Interim data, vsque illa per vniuersale coactum patrum concilium, ad veterum normam componatur, vbique in templis, scholisque triumphet. Hic tempus erat, quo fide probati, manifestarentur. Sed quis calamitatum finis? Vrbes nimia pecuniarum exactione plane exhaustæ, sanguine ab Hispanis profuso, madidæ, scelera, rapinæ & impunitæ libidines ubique percrebuerunt. Exilia optimis viris & sacerdotibus primi ordinis parabantur, multis ex his ad internectionem deletis. Sueuæ doctores, Augustani, Ulmani, Halenses, quibus Brentius præerat, Wurtembergenses, & in vicinia Argentoratenses diuinis argumentis formulæ illi male merenti dicam scripserant: hinc BVCERI, BRENTII, MVSCVLI, SNEPFII, SARCERII, FRECHTI, ZVICCHI, & aliorum & pericula, & exilia & vincula notissima sunt. Et sic tanta temporis conurbatio fuit, vt magis probrosum, turpe, periculosumque fuerit, & quo quis facile capitris discrimen adiret, Lutheranum quam parricidam, aut latronem? esse.

§. IV. Nos pro instituti ratione solum IO. BRENTII meminimus. Hic, euulgata formula Interimistica, cum Sueuis suis, Argentoratensibus, Magdeburgensibus, pluribusque cœtibus salutari doctrina confirmator erat MELANCHTHONE, aliisque in Saxonia Electori parenti, Theologis. Masculæ quidem & initio Melanchton formulam istam oppugnare decreuerat, quam timide, quam abiecte autem deinceps, Cœsareanorum armis Saxonie illatis, hanc

## DE PATHMO BRENTIANA.

7

Hanc cum suis sequacibus mollierit, attemperauerit, vigilatim purissimam fidei partem, qua ratione mortalis coram tremendo DEI iudicio iustus consistat, corruperit, extremam vocationem, ut æquam piamque cærimoniam defendeat, libertatem adeoque nostram Pontificij Romano iterum prodere voluerit, est & erit commemoratu turpe.\* Brentius autem noster, infesta sic DEI domui illatum in signa palam pronunciauit, penitus hinc abiecit formulam, erroresque, verbo diuinitus reuelato repugnantes profligauit. Cæsar, ante formulam hanc conditam, iam incredibile in eum coniecerat odium, cumque capere, Halamque Sueorum, cui adhuc in sacris præerat, ferocissimo hosti obiecturum secum statuerat. Milites eius, qui an. MDXLVII. urbem intrabant, domum, quam Brentius incoluit, occupabant, litterasque eius ad familiares datas, aliaque scripturarum genera cognoscebant, magnaue ex illis crimina ipsi obiciebant. Parum fuit, quin hic in urbe adhuc commorantem BRENTIVM ad mortem rapere potuissent hostes. Sed DEVS hic prouidit, in turri quadam urbis reconditus erat, mortem quidem ne recusare pro veritate, animus ipsi fuit, amicorum hortatu autem delitescere debuit, ut ex Athanasi sententia, tanquam medicus in usum indigentium reseruaretur. Post aliquot dies, mutatis vestibus, per medias Hispanorum tur-

---

\* Tristissimum lapsum Melanchthonis, certe nemo melius ex epistolis suis ad Episcopum Augustanum, Carteutium, aliasque, in causa intermixta exposuit, quam Ven. JO. BILZINGIUS Pastor S. Mauritii Halens. Saxon. dignissimo in libello: nöthiger Anhang zum ersten Theil des heiligen Denckmahls des Religions - Friedens, quo index Melanchthon tantummodo consulatur, quæsto, & obstupefies, quam turpiter Melanchthon obliuiscatur, se Melanchthonem & ecclesias columnam esse.

turmas, oppido exiit, & sic acerrimos hostes effugit. Cæsareano autem milite, alio a mora interiecta, urbem istiusque agrum relinquente, Brentium nostrum solicitude pro suis Halam iterum traxit, eumque iterum Euangelium, ut virtutem DEI, omni illi fidem habenti, salutarera de nouo praedicare, haud puduit. Ast cum a. MDXLVIII. pater ille purpuratus, GRANVELLANVS, formulam istam, ex qua ecclesiæ vulnera nequaquam poterant sanari, imperii statibus vi commendandam esse, semel sibi proposuisset, & Brentium, Halis Sueorum, maxime illi libro quondam aduersatum esse, comperisset, delegatum quandam senatus Halæ Sueicæ sedulo admonuit, ne diutius circa fidei formulam amplectendam hærerent, Cæsarisque iram excitarent. Et quoniam non ignarus, Brentium in dies suos flagitare, ne hanc, quam INTERITVM nuncupauit, normam amarent, nihil hinc Cæsari gratius obuenire ratus est, quam si virum istum contentiosum, Augustam Vindelicorum victori vincitum tradenderent, ne aduersus Cæsaris auctoritatem hiscere amplius auderet.

§. V. Hic iterum noster in magnum vitæ discriminem coniectus est, nam GRANVELLANVS, qui consilii rationem non statim expletam videbat, virum quendam sanguinarium, Cæsaris auctoritate munitum, Halam ablegat, cui dissimulato consilio, BRENTIVM conuiuo excipere, deinde etiam, paratis equis, clam abducere commiserat. Brentio ergo durius imminisset fatum, nisi tempestive præmonitus fuisset, ut fuga salutem suam quereret. Senator Halensis, alter Obadia, paucissimis verbis, iisque litteris consignatis ipsi consultit: Fuge Brenti cito, citius, citissime. Euadit, & excedit, prout sanctissimus Seruator suis, Matth. X. comm. XXIII. iamdudum dederat mandatum, CYPRIANI etiam &

ATHA-

ATHANASII exemplum ipsi præcerat, densissimas in sylvas se abdebat, ibique per longum tempus ad normam veterum, Ebr. XI. comm. XXXVIII. viuebat. Sic prouidens numen, militibus frustra vbiique oberrantibus instantes a ceruice sua remouit gladios, cum interea BRENTIVS sub umbra auxilii diuini latere posset. Vrbs autem tantam Cæsaris sibi iram concitauerat, qui fundamentis suis diruendam censeret, nisi se ingenti copia <sup>multum</sup> a tanto periculo liberasset.

§. VI. Portum, quamuis, ut rerum humanarum visissitudo est, non longe tutum, apud Ulricum Vurtembergiæ ducem deinceps inueniebat. Bonus ille princeps illum receperat, sed ita fouere non poterat, ut ex omni parte securus esse potuerit, etenim ipse in tantas angustias, breui a Cæsare redactus, ut formulæ nouæ, quæ iam in terris obtinuit, contradicere non auderet. Interim, Brentio hic degente, non solum ingentisfauore seruum DEI princeps complectitur, sed etiam Angliae Rex Eduardus VI. Borussiae Dux Albertus, & Magdeburgum eum certatim expetunt, muneribusque sacris sufficere volunt. Sub cruce autem stat BRENTIVS, lauiores conditiones respuit, patriseque fata, quo & eum trahant, retrahantque sequi, constituit.

§. VII. Weitingæ, quod ducatus Vurtembergici oppidum est, cum Cæsaris exercitus in hanc terram remeasset, non noster, qui ibi habitat, amplius securus fuit: hinc patria extorris, suisu Ulrici, Argentoratum, & dehinc Basileam, relictis rebus omnibus cum suis migrat, ubi pro turbulentia rerum facie stabiliorem sedem, donec Christi ecclesiæ capiti, aliter visum, sibi figere constituerat. De hoc itinere, quo per Argentoratum Basileam petiit, memorabilis eius ad JO-

B

AN.

AN. CALVINVM epistola, \* cum ea' ætate spes pro eccliarum protestantium consociatione adhuc affulgerer, exstat, ex qua ea, quæ huc pertinent,<sup>1</sup> dabo: non dubito, amicissime mi Caluine, te iam dudum accepisse, quis sit status, imo quæ sit mutatio ecclesiarum in nostra parte Germaniæ, quæ ruina me ex ea ecclesia, in qua Euangeliū filii DEI, viginti quinque annis docui, eiecit. Et cum mandato Autocratoris vel ad carceres vel ad mortem petitus fuerim, haec tenus diuina clementia & cura amicorum ita defensus sum, ut his diebus saluus ad Basileam peruererim: statui autem hic hybernare, & quanquam inuenierim omnia hic commoda, hospitium, urbis amœnitatem, ciuium benevolentiam, doctorum virorum familiaritatem, & quo maxime delector, ministrorum ecclesiæ humanitatem, tamen cum venit in mentem facies vastatæ ecclesiæ, desertæ familiæ meæ, ac periculorum, quæ aliis ecclesiis & ministris eorum immittere videntur, cogitare ipse potes, nihil externum regum tam amœnum esse, quod in tali paroxysmo amœnitatem afferre queat. Quare, quæ est tua pietas, non dubito, quin coniungas tuas preces cum nostris, vt filius

us

\* Conf. CALVINI Epist. & Rdsponsa p. 191. ed. Hanon.

## DE PATHMO BRENTIANA.

xi

us DEI incipiat iterum declarare, se sedere ad dextram  
DEI patris sui, & tueri ecclesiam suam. De statu patriæ  
post pauca interiecta hæc refert: In ducatu Vurtembergensi  
aliquibus in locis, vna diei hora missatur, alia Euangeliū Christi prædicatur. Nec ibi quicquam mutatum  
est, nisi quod veteres quidam sacrificuli faciant missas:  
Veri autem ministri ecclesiæ receperint in administratio-  
ne sacramentorum vestitum, quem vocant, choralem,  
& adiecti sint quidam festi dies ad priores, præterea eſus  
carnium publicus consuetis haetenus diebus interdictus  
sit. Cætera ibi adhuc salua sunt, vt pii ministri non  
solum non exturbentur e suo ministerio, verum etiam  
ex aliis locis expulsi recipiantur. Dominus det, vt prin-  
ceps eius religionis possit hoc institutum tueri. Hoc  
principis pii etiam erat consilium, sed postea, cum omne iugum  
formulæ Interim dictæ, quo se exuisperabat, accipe-  
re cogeretur, & contagium hoc latius serperet, omnes ver-  
bi sacri ministri, tandem sedibus suis & electi, & multi ho-  
rum trucidati sunt, sic vt postea Tubingæ, omnibus illis re-  
motis, unus, qui missam Romano ritu, celebrabat, tan-  
tummodo præesser Interim prius vrbibus, quas vocant im-  
periales, quam aliorum principum terris leges religionis,  
pontificia doctrina incrustatae, accipiendæ erant, ea propter

B. 2

BREN.

BRENTIVS: in quibusdam, scribit, imperialibus ciuitatibus restituitur non Interitus tantum, (sic Interim appellat,) sed etiam Papatus ipse, hoc est, extrema interocio.

§. VIII. Ast, eum Basileæ ipsi ob ingentes hostium, in vicinis locis grassantium, terrores non commorandum amplius esse, & ipse & princeps nutritor, putasset, ne igitur rursus odii iniqui tempestatem subiret, in optimam Ulricus ingreditur, opinionem, Brentium suum in arcem Horrenburgum, oppido contiguam & in extrema Vurtembergiæ ora, syluaque Hercynia sitam, transferendi. Hic arci praefectus esse creditur, hic vestes mutat. hic nomen suum in Huldricum Aengsterum conuerrit, & quidem sine mendacio & falsiloquio, a quo eo tempore Theologo, vel maxime rebus etiam in ancipitibus abstinuerunt. Huldrichus idem est ac in Ebræa lingua Joannes. Encastes, quod originem a Græco verbo, in Latio Vrere & apud Germanos Brennen significat, dicit, peperit nomen contractum Aengsteri, & responder Brenz sive Brentio. Sic mitissimum pectus sub cognomine crudeliori delitescere voluit. In hac arce & diuinum Esaiam, olim incepturna scriptura quadam porro explanandum sibi summis, & Catechesin a se exaratam, vberioribus commentariis instruxit, quibus salutarem doctrinam, fermento Interimistico repurgatam, confirmabat: hinc etiam euenit, ut postea in huius Pathmi memoriam quædam sub nomine Huldrici Aengsteri volumina luci dederit. Lepidam hic commemorat de hoc BRENTII secus historiam MELCHIOR ADAMVS: \* Brentius noster recens constitutum

\* In vitis Eruditorum f. 214, ed. Francof.

tum quendam pastorem arcis & oppidi Horrenbergi, qui pro rostris sacris per longum temporis tractum, orationis filum ducere solebar, modeste obtestatur, ne conciones sic protraheret, ille moleste hunc æquum monitorem ferens, respondet: Vobis præfectis omnis mora in templis est molestia, sed non aequa in symposiis. Subridet Brentius, grataque ipsi pastoris fuit aperta frontis explicatio. Irrerea, ut idem Adamus refert, non constanter ideam præfecti, ex plebis opinione, gerere potuit. Dum in omnibus pie prudenterque sermones misceret, tum vitia, quæ homines alias non corripiunt, animaduertit, hinc ciues oppidi varia de suo præfecto mussitant. Immo cum verbi ministrum supra dictum, graui morbo conflicantem, aliquoties consolaretur: **T**V non es verus præfectus, inquit, quicunque tandem sis. In hac Pathmo, ut mihi videtur, fere annum & sesqui egit. Cum autem formula Interimistica non vbiuis exoptatam deportaret viatoriam, Cæsar etiam minas Pontificis & aliorum Romanensium procerum in se concitatas ea propter sentiret, & sic sensim ad eam porro sufficiendam, animum remitteret, hinc circa annum MDL patriam iterum reperit, & ab VLRICI, qui fatis concesserat, dignissimo successore, **CHRISTOPHORO**, Stutgardiae templo primario præfектus est, quo tanta merita in omnem Vurtembergiæ tractum elocauit, quibus maiora nulla viderit posteritas. Taceo viri fortitudinem, qui Tridentum missus, Euangeli virtutem profiteri voluit, sed cui, re infecta, in magnis vitae periculis laboribusque versato, domum redeundum erat. Quod palmarium autem, auctor fuit Patriæ vere Patri, ut monachorum ædes, a quisquiliis omnibus repurgatas, nunc & in posterum studiosæ pubi cum omnibus redditibus consecrari, id quod piissimum institutum  
B 3      hodie

hodie ecclesiam Vurtembergicam maximopere commendat, sic ut in omni Euangelicorum orbe vix pares conatus, rem sacram pariter & litterariam iuuandi, quam ibi inuenieris. **GODOFR. ARNOLDVS,** \* prout omnia vel dexterime facta vel dicta arrodet, hic meritis magni Brentii detraxit, illum, facinore sacerdote indigno, Principi simul a consiliis secretioribus fuisse. Sed quis non accusatoris iniquam censuram videbit? Brentius cum eum sibi aditum ad gratiam Ducas laude nostra superioris parasset, certe non sibi, sed cœtui sacro seruuit, adeoque etiam in munere sibi imposito nemini molestus, cunctis potius benignus, omnibus autem æquis extitit. Et quæ tandem laborum meta? Nil nisi terque quaterque beata. Post tot athletæ certamina, absolutosque labores tandem portum aeternum, anno MDLXX. D. XI. Sept. ingreditur. Memoria huius viri, diuinitus gregi Christi dati, nobis semper esto fructifera!

§. IX. Ad TE, VIR SVMME REVERENDE! me conuerto. Paucula hæc præfatus sum, non ea ratione, ac si hæc omnia TE laterent, minime. Credo, TE multo plures in Brentii tumulum flores sparsurum esse, si TIBI daretur occasio. Interim tamen & his litteris tantiviri memoriam recolere fas erat. TV spiritu Brentiano forti, constanti & pio induitus, adhuc DEI magnifica beneficia prædicasti, & semisæcularis, vt ita efferam, Theologus cœtui TVO sacro dignissime præees. TV enim, si recte recordor, iam viæ annos Brentianos supergressus es. TV nomen HVLDRICI, quod illi exilium, TIBI autem fons sacer olim imposuit, non sine magno omine adhuc gessisti, & gratiam Euangelicam per tot annos, vt præco extulisti. Brentius

inter

---

in K. u. K. Histor. L. XVI. c. XV. §. X.



inter multas ærumnas ætatem transegit, & ecclesiæ statum per paucos tantum annos in Germaniæ partibus pacatum vidit. Ea conditione longe superiores: TV enim rebus Evangelicorum, aduersari nostris non semper, non ubique nocturis, secundum & Passauensem & Monasteriensem sanctiōne bene compositis, tres Jobiliacos dies festos, sacerdotis vestibus cinctus, supervixisti, & tot triumphos longe celebratos egisti, & TE hos egisse, optime ante aliquot annos ex sectione, a TE sine dubio AMPLISSIMO SENATVI FRIEDBERGENSI ad concionem sæcularem commenda, quæ Psalmo CXXIV, 6. 7. 8. legitur, non sine animi mei tripudio intellexi, & non inficio, mihi huius perlectio- ne & consideratione, animum TVVM fortē & cum ecclē- sia recte sentientem, coram intueri licuisse.

§. X. Agedum, VIR VENERABILIS, floreas, ut palma viridis in domo DEI. Hic Immortalis, Summeque Benignus, qui TIBI diem iobilæum laboris sacri quinquage, simi optime exantlari fecit, &, ut equidem opinor, in placa vegetaque Senectute; Idem hic TIBI illum faustum felicem, fortunatumque esse iubeat. Porro strenui serui DEI, qui multa in sacra militia TVA fecisti & tulisti, munere fungaris, præpotens NV MEN corporis hinc TVI vites, immo & animi doctes inuiolatas, & adhuc summo fauore auctas refocillet & recreet, quo Friedberga in posterum TE in Nestoris annis superstitem, ut suum oratorem incomparabilem, & deprecatorem indefessum, cum salutari animarum commodo, audiat, admiretur & post fata, quæ vtinam longe absint, in maximo quoque pretio habeat. Interim recordare pro veteris amicitiæ, quin necessitudinis lege, quam semper cum beato socero meo, Optimo VIRO, JO. PAVL. ELLENBERGERO, S. R. M. Polon. a consiliis commissis & præfecto Trefurtensi, sancte coluisti, & cuius

QK II n 7436 X 356 00.99 VD18

16

DE PATHMO BRENTIANA.

cuius sororem germanam vxorem, placida autem morte TI-  
BI erectam, duxisti, hic Querfurti, mei meorumque coram  
Domino, sicut & ego, donec viuere desinam, TVI TV-  
ORVMque & generorum TVORVM consultissimorum,  
filiarumque binarum & dulcissimorum ab eis natorum pigno-  
rum, semper summa cum volutate meminisse, precibusque  
DEO & Patri JESV CHRISTI, & nostro, a quo omnia  
optata consequi solemus, commendare elaborabo. Vale,

VIR mihi summopere colende. Dabam Querfurti

Saxonum D. XXX. MAII. A. O. R.

clio CCLVIII.



B. m. I.  
Hn  
7436

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

A THMO IO. BRENTII SUMMI THEOL.  
A NOMEN HVLDRICI AENGSTERI SIBI  
ADSCIVIT

# VCVLA COMMENTATVR

SIMVLQVE

SVMME REVERENDO, ET DOCTISSIMO  
DOMINO

# FRICO EBERHARDO KEIPFIO

I. VRBIS FRIEDBERGAE IN WETTERAVIA  
ASTORI PRIMARIO ET CONSISTORIALI  
OLOGO VETERANO PIO FORTI INCLYTO  
AFFINI ET FAVTORI SVO SVMMPERE  
COLENDO

M SACRI MINISTERII QVINQVAGESIMVM  
D. II. TRIN. BONO CVM DEO EXPLETVM

PIE GRATVLATVR

CHRISTOPH. ANTONIVS FRIDERICI  
CCL. QVERFVRT. PASTOR PRIM. DIOEC.  
SVPERINTENDENS ET SCHOLARCHA.

HALAE

EX OFFICINA FÜRSTENIA.

